



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

124. Fer. 6. De Octava Apparirione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

amat, hoc diligit; si aliud dilexerit, non est castus amor.

Conf. 3. Quomodo Dominum allocutus sit, Conversa illa dicit ei: *Rabboni*, quod est Syriacum, & significat *Magister mi*, amabili-  
liter vocat Magistrum suum, ad cuius pedes aliquando sedens diligenter audiebat verbum illius, Luc. 10. quod quale fuerit, explicat propheticè David Psal. 15. *Notas mihi fecisti vias vite*; hoc itaque in resurrectione ex persona dicitur *Salvatoris*, inquit Ambr. quia resurgens notam habet *viam vite*, que ante fuit ignota, nullus enim adhuc resurrexerat. Felicissima sub hoc Magistro profecit Magdalena, quæ fœmina, ut loquitur hîc Beda, quondam mortis ministra, Resurrectionis Mysterium prima percepit, & nuntiat. Petam in hac schola proficere in scientia Sanctorum, utendo medijs, quibus usa S. Magdalena. Aug. hîc ait: *Conversa corde, quod erat cognovit: qui se affectibus inordinatis spoliat, ei apparet DEVS*

## MEDITATIO CXXIV.

## Feria 6. Paschæ.

## De octava Apparitione.

**A**spiciam Dominum in monte Galilææ qui videtur fuisse Thabor, antè designato apparentem suis. Petam intelligere quomodo ad montem DEI pervenire possim, inibiq; DEVM cernere.

**1. Conf.** Quomodo Dominus, qui deorsum confortabat ad patientiam, sursum invitet ad gloriam. Primò enim docendus est auditor, deinde Fidei Sacramentis imbuedus, tum ad servanda mandata instruendus: *docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis; quæ quidem non sunt pauca, & levia, nisi præsentia gratiæ, & spe gloriæ alleviarentur.*

**Conf 2.** Quomodo cum Discipulis abeundum in Galilæam, seu transmigrationem, vel revelationem. O beatam transmigratiõem ex seculo in illam æternitatem, & beatam revelationem, cum eum videbimus, sicut est!

**Conf. 3.** Verba D. Hieron. in c. 16. Marc. *Stupenda sunt, quæ preparavit Dominus diligentibus se* Miramur cum ratione conjuncta: quæ rationem superant stupemus; talia sunt, quæ preparavit Dominus diligentibus se. O quomodo radix amara crucis evanesceret, si florem vitæ æternæ cum fructibus ejus attentè consideraremus!

## MEDITATIO CXXV.

Sabbato post Pascha.

*Septem gaudia B. Virginis ex Christo glorioso.*

**V**ldebo septenis doloribus ejectis cor Virginis à septem gaudijs obtineri. Pe-  
K tam